





1727, 12

46<sup>b</sup>  
A2


FACULTATIS JVRIDICÆ  
DECANVS,  
**JO. PHILIPPVS**  
**S**treit, JC<sub>T</sub>VS,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
MOGVNTINI CONSILIARIUS  
REGIMINIS.

L. B. S.

de conveniencia ad matrimonium necessaria

E R F O R D I A E,  
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





Arimonium quandoque sumitur pro actuali contractu, quo legitimae personae consensu, verbis vel signis expresso, se mutuo obligant ad vitae societatem ad usum humanae generationis. Quandoque pro statu, seu vinculo stabili, per contractum inducto, matrimonii enim essentia non consistit in contractu, qui est tantum causa efficiens, & transit, postquam est factus, cum tamen matrimonium formaliter spectatum per modum statu, duret usque ad mortem alterius conjugis: sed consistit in hujusmodi vinculo permanente, quo conjuges sunt inter se uniti, quod oritur ex mutuo consensu & traditione. *Pirhinc. ad Decret. de sponsal. Et matrim. sect. 3. §. 1. n. 67.* ubi per traditionem non intelligitur consummatio: sed illud *jus in re*, quod mox ex consensu legitimè expresso acquiritur. *Schamb. in lect. publ. ad dict. tit. n. III.* Et in hac posteriore significatione de-

finitur: quod sit viri & mulieris conjunctio individuam  
vitæ consuetudinem continens. §. I. Inst. de Patr. potest. L. I.  
ff. de vit. nupt. cap. illud. II. X. de presumt. Sumitur hic  
conjunctio pro vinculo animorum, nato ex mutuo con-  
sensu interiori & contractu exteriori, tanquam causa  
efficiente, non autem pro conjunctione corporum,  
quia matrimonium non facit concubitus, sed paetio  
conjugalis, & mutua voluntas & consensus. L. 30. ff.  
de R. I. Can. cum initiatur. 5. can. sufficiat. 2. XXVII. q. 2.  
cap. cum locun. 14. X. de spons. & matrim. consensus ita-  
que contrahentium matrimonium requiritur, qui sit  
mutuus vel formalis vel virtualis, ab omni metu liber.  
cap. veniens. X. d. t. & cap. 2. de conjug. depos. de pre-  
senti, verbis vel signis debite expressus, estque forma  
matrimonii, adeo ut sine eo nullâ autoritate huma-  
nâ matrimonium iniri possit, cum sit de essentia. Val-  
lens. ad dict. tit. de sponsal. §. 8. n. 1. Qui consensus si  
in nuptiis defuerit, cætera omnia, etiam cum ipso coi-  
tu celebrata, frustrantur. Textus in dict. can. sufficiat.  
non est tamen necessarium, ut actualis utriusque con-  
jugis consensus simul, & eodem tempore exprimatur,  
ut patet in matrimonio per procuratorem & literas  
contracto. In eo iurium interpretes discrepant: si-  
ne tam sponsi, quam sponsæ consensus necessarius ad  
convalitandum matrimonium, quod in foro externo  
legitimè contractum censemur, sed à parte rei nullum  
est defectu consensus in sposo? Docet Felinus in cap.  
ex parte decani. 33. n. 11. de Rescript. cum aliis, non tan-  
tum ex parte sponsi, in quo consensus deficiebat, sed  
etiam ex parte sponsæ novum consensum desiderari,  
dete-

detecto eidem defectu & nullitate matrimonii, eo  
quod matrimonium sine mutuo consensu, & per con-  
sequens defectu consensus in uno contrahentium, pe-  
nitius nullum sit, adeoque denuo mutuo consensu con-  
ciliandum. Alii sufficere dicunt, si sponsus defectum  
consensus suppleat, & in matrimonium consentiat et-  
iam insciā sponsā: quia ex parte hujus, ut supponitur,  
ab initio tempore nuptiarum, verus & legitimus con-  
sensus adfuit, atque idem consensus retractatus non  
est, sed in effectu suo virtualiter hucusque duravit,  
sponsā bonā fide credente matrimonium esse validum,  
& se conjugem. Ergo accidente consensu sponsi, mu-  
tuus & sufficiens habebitur consensus utriusque. Huic  
sententiae patrocinatur Hostiensis, Navarrus, & com-  
muniter tam Theologi, quam canonistae, ut refert Kö-  
ning libr. 4. Decret. Tit. 1. part. 2. §. 8. n. 103. Patet inde  
quod consensus matrimonialis debeat esse verus ac se-  
rius, non simulatus, jocosus, aut fictus, quia consen-  
sus utriusque partis absolute est necessarius, & textus  
est in cap. tua nos. 26. X. de spons. & matrim. ubi Ponti-  
fex rescribit: Si res ita se habet, videlicet, quod ille eam  
non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in  
predicēam personam, non debet ex illo facto conjugium ju-  
dicari. Ratio additur: Cum in eo nec substantia contra-  
dictus conjugalis, nec forma contrahendi conjugium valeat in-  
veniri: quoniā ex alterā parte dolus solummodo adfuit, &  
defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt fædus per-  
ficere conjugale. Quæ dicta non tantum locum ha-  
bent in contractu matrimoniali, sed etiam in aliis, in  
quibus spectandum est potius id, quod re ipsā agitur,

quād quod simulatē concipitur. Per integrum titu-  
lum Codice plus valere, quod agitur, quād quod simulatē  
concipitur. Decisio tamen hæc tantūm locum habet  
in foro poenitentiali, in quo habet fides ipsi confi-  
renti sine aliis probationibus, in foro vero fori est  
præsumtio pro matrimonio, donec legitima istius fi-  
ctionis fiat probatio. Consensus itaque facit matri-  
monium, & cum carnalis copula sit usus rei, in alterius  
potestatem per matrimonium translatæ, non magis  
ad essentiam matrimonii pertinet, quād in omni alio  
contractu, veluti emptionis, locationis &c. usus rei in  
eum deductæ pertinet ad substantiam ipsius contra-  
ctus. Hinc sequitur matrimonium, solo consensu con-  
tractum, licet nulla copula carnalis intercesserit, di-  
ci verè matrimonium. *Can. conjuges & can. conjunx.*  
*XXVII. d. q. 2.* Nec dirimi per aliud subsequens cum  
alia, etiam carnali copula consummatum. *Cap. fin. in*  
*fin. de spons. duorum.* Nec obstat canon *Non dubium 16.*  
*cum seq. 1. q. 2.* ubi dicitur. Non esse dubium, illam  
mulierem non pertinere ad matrimonium, cum quā  
commixtio sexus non doceatur fuisse: quia, ut advertit  
editio Gregoriana, prior canon non reperitur apud D.  
Augustinum, ex quo eum citat Gratianus, videturque  
summarium canonis sequentis, quem depravatè quo-  
que legit Gratianus, ut videre ibidem licet in editio-  
ne Gregoriana. Non obstat etiam, quod matrimo-  
nium efficiat, ut sint duo in carne una, quod non vi-  
detur efficere ante copulam: quia esse duos in carne  
una, non est commisceri, sed haberī tanquam unam  
carnem, quod fit per hoc solum, quod uterque alte-  
rius

rius corporis potestatem habeat. *Ita Vallens ad tit de*  
*sponsi. & matrim. §. 5. n. 4.* Quam materiam ex cathe-  
drâ explanabit occasione dict. L. nuptias 30. ff. de R. I.  
quam pro lectione cursoria elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS  
DN. ANDREAS Schnür/  
Advocatus Cizenſis,

natus 14. Febr. an. M DCC II. Stöntzschii, ex paren-  
tibus ibidem natis & legitimo matrimonio copulatis,  
paterque jam defunctus PETER, ac mater ANNA, na-  
ta Munckelia appellatur. In prima ætate Candidatus  
noster in Patriâ schola informatus fuit; in secundâ  
ætate Dn. KAHLERTVM, Rectorem Pegaviae, & Dn.  
HERTZOG, Rectorem Cizæ, Præceptores habuit.  
Crescentibus annis Academiam Jenensem adivit, &  
Collegia Dn. D. HARTMANNI philosophica, Dn. D.  
BECKI, Prof. Ordin., juris naturæ, Struvianum, Pand-  
ectarum, & criminale. Dn. D. DIETMARI, Institutio-  
nale, Pandectarum, & Juris feudalis. Dn. D. LANG-  
GVTH, Consil. Aulici & Consil. juris canonici, feudalis  
& publici, nec non ad Grotium de jur. belli & Pacis,  
frequentavit, iisque absolutis praxin Cizæ exercuit.  
Porro die 3. Septembr. an. 1726. celeberimâ Facultate  
Juridicâ Wittenbergensi Examen pro Praxi, lege Saxo-  
nicâ Eleitorali imperatum, subiit, in eoque, testibus  
literis testimonialibus prælaudatae Facultatis nobis ex-  
hibitâ, dignus judicatus fuit, qui ad orandas in foro  
causas

causas admitteretur; Proinde exhibito specimine, à summo Regimine Sax. Elect. in numerum Advocatorum receptus, causarum Patronum agit. Tandem ad consuetum Jurium Candidatorum examen admitti à nobis decenter petit, cui petitioni annuit Facultas Juridica, & ei textus ex utroque jure explicando assignavit, quos resolvit & ad quæstiones propositas ita respondit, ut unanimi consensu ad ulteriora admissus sit, proximâ itaque octavâ die Januarii, horis consuetis, lectionem cursoriam ad diet. L. Nuptias 30. ff. de R. I. eaque finitâ Disputationem DE DOMINIO, SINE TRADITIONE JUDICIALI, JURE SAXONICO, TRANSLATO, habebit. Quibus actibus solennibus ut Magnificus Dominus Rector, cæterique Domini Proceres & Cives Academici interessè velint, rogantur, invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Juridicæ 5. Januarii M DCC XXVII.



L.S.

**ULB Halle**  
005 355 63X

3





### Farbkarte #13



B.I.G.  
Black  
3/Color  
White

1727, 12

466  
12

FACVLTATIS JVRIDICÆ  
DECANVS,  
**JO. PHILIPPVS**  
**S**treit, JC<sub>TVS</sub>,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
MOGVNTINI CONSILIARIVS  
REGIMINIS.

L. B. S.

de conserva ad matrimonium necessaria

E R F O R D I A E,  
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.